

ex hoc, quòd est secundum rationem, quod est omnibus artibus commune; sed etiam ex hoc, quòd est circa ipsum actum rationis, sicut circa propriam materiam: & ideo videtur esse ars artium, quia in actum rationis nos dirigit, à quo omnes artes procedunt. Hæc Thomas; è quibus videre est, quòd Logica sit directrix rationis, seu actus rationalis: item quòd omnis ars sit directrix. Jam autem directio generalis nequaquam sufficit, nisi specialis accedat: quia scilicet ratio nostra nunc generalibus, nunc specialibus cognoscendis est intenta. Hinc concludo, omnem artem esse & generalium, & specialium simul. Objicis illud: Singularium non est scientia. Respondeo dupliciter. Primò singularium vagorum, inordinatorum, casualium, & infinitorum non est scientia. At singularium certorum & perpetuorum omninò est scientia; ut Dei, Solis, Lunæ. Deinde pars altera Logices vocatur specialis, non quòd de singularibus seu individuis tractet; sed quòd præcepta tradat de modo disserendi in specie, non in individuo. Sicut enim pars generalis explicationem instrumentorum Logicorum continet: ita specialis applicationem seu usum, hoc est, præcepta de usu instrumentorum Logicorum habet. Et ita video, quosdam intelligere divisionem Logices in docentem, & utentem: licet alii aliter accipiant, quasi sit distributio generis in species, ita ut Logica docens sit systematica, utens seu operans ipse habitus Logicus seu Logica habitualis. Possit & nostræ divisioni lucem afferre illa, quâ Logica dividitur in abstractam & concretam; si nimirum abstractam Logicam dicas, quæ in genere modum disserendi planè sejunctum à speciali objecto explicet; concretam seu applicatam illam, quæ in specie præscribat modum applicandi instrumenta generalia. Verùm video patronos hujus divisionis aliter interpretari. Redeo igitur ad eam, quam à Keckermanno & Timplero, viris optimè meritis de omni disciplinarum genere traditam & propugnatam scio. Illa non solùm congruit cum fine proximo Dialectices, item cum subjecto tum tractationis, tum informationis; sed etiam cum fine remoto. Is est veritas, ut suprà docuimus. Ex hoc fine præsupposito sic dividenda Logica, ut doceat instrumenta ad veritatē ducentia. Hinc sic colligimus: Quot modis ascendimus ad veritatem,

Logica est
docens vel
utens.